DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ICTERO.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ICTERO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET NOBLISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS KERR,

Ex India Orientali,

SOC. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

Λεγειν τα προγινώμενα, γινώσκειν τα περιέοντα, προλέγειν τα ἐσόμενα.

ʽΙΠΠΟΚΡ. ΡΗΣΙΣ. *μή.*

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.

VIRO HONORATISSIMO,

GEORGIO JOANNI,

COMITI SPENCER, K. G.

VALETUDINARII GENERALIS NORTHAMPTONIENSIS

SPECTATORI PRIMARIO;

ITEM,

NOBILISSIMO VIRO

NORTHAMPTONIÆ MARCHIONI,

PRÆSIDI PERPETUO;

CÆTERISQUE GUBERNATORIBUS;

ETIAMQUE

EJUSDEM MEDICIS ET CHIRURGIS;

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

NON IMMEMOR BENIGNITATIS QUI HÆC PRIMUM FOTA,

ADJUTAQUE SUNT,

D. D. D.QUE

GULIELMUS KERR.

PATRUO SUO

PRECEPTORIQUE OPTIMO

ET

HUMANISSIMO,

GULIELMO KERR, M. D.

VALETUDINARII GENERALIS NORTHAMPTONIENSIS

CURATORI,

&c.

GULIELMUS KERR,

FRATRIS FILIUS,

S. D.

Libellum primum nostrum in medicina editurus, moxque Medicinam ipsam, uti spero, facturus, ecquem, quæso Te digniorem invenire potui, Vir optime, cui priorem consecrarem, cujusve exemplum in posteriore, mihi usquequaque proponerem? Hoc ut aliquatenus certe assequar, Deum Opt. Max. imprimis oro: Tu interim opusculum nostrum solita benignitate fac accipias, atque valeas.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ICTERO.

Gulielmo Kerr, Auctore.

Si licet naturæ opera cum artis comparare, manifeste videbitur varia organa corporis animalis, non secus atque plures partes instrumenti admodum multiplicis, ita inter se conjungi mutuoque affici, ut ne minimum quidem male se habere possit, quin cætera omnia plus minusve, prout hoc magis vel minus ad rem pertinet, corrumpantur. Quinetiam corpus animale non modo rebus externis, tanquam instrumentum, patet, sed etiam pluribus cupiditatibus affectibusque va-

riis, qui illud quam hoc longe magis obnoxium injuriis reddunt; quodque pejus est idem longe difficilius reficitur. Neque enim, si quo vitio corpus laborat, id protinus (veluti in instrumento accidit) deprehendere, quibusque manibus corpus factum est, iisdem vitia ejus resarcire licet. Credenda omnia incerta medicinæ sunt: quanto vero hæc natura ipsa incertior est, tanto majorem curam atque studium adhibere debemus, ut quam maxime certam salubremque utique reddamus.

Quoniam autem nullius partis vitia citius aut certius cæteras omnes corrumpunt quam jecinoris, nullaque alia pluribus magisve pestiferis malis patet, unum ex his, Icterum scilicet, tanquam dissertationis meæ argumentum selegi; non ideo quidem quia putarem me posse aliquid novi de hoc morbo proferre, sed quia vellem eo curam meam, studiumque conferre, ubi male collata videri non possent, malumque tam frequens, tamque periculosum ab omni parte, ut potui perscrutari.

DE ICTERI NATURA.

Illud verbum Icterus significat morbum quem Hippocrates, Aretæusque et Galenus, sub titulo ἴκτερε descripserunt, quemque Cullen libro suo in sequentibus verbis definivit: "Flavedo cutis et oculorum: fæces albidæ; urina obscure rubra, immisso colore luteo tingens." Hujus autem morbi quinque species posuit, Icterum calculosum scilicet, spasmodicum, gravidarum, infantum, atque hepaticum. Hujus igitur dissertationis consilium est, has generatim prosequi; ita tamen ut varios morbos quos Icterus comitari solet, non comprehendam.

Hic morbus a Græcis primum ἴκτερος vocatus est, ideo quia color cutis idem est atque alarum avis, quæ idem nomen habuit *: vel fortasse ab ἰκτὶς, quo nomine Mustelam sylvestram significabant, cujus oculi lutei sunt †. A Celso autem,

---

* Avis Icterus vocatur a colore, quæ si spectetur, sanari id malum tradunt, et avem mori.—Plin. lib. xxx, cap. xi.

† Ætius, lib. x. cap. xvii.

cæterisque scriptoribus Latinis, idem malum Morbus Regius, Morbusque Arquatus, vocatur: unde tamen hæc verba sint, subobscurum est. Interdum Aurigo vocatus est morbus, a flavo colore cutis.

DE CAUSIS ICTERI.

QUONIAM Icterus ab aliis morbis longe sæpius excitatur, causæ ejus frequentius quærendæ sunt ex iis quæ hos morbos movent. Quicquid vero de propriis ejus causis dici potest, dicam; hasque de more, in Prædisponentes atque Excitantes dividam.

Prima ætate Icterus admodum sæpe accidit, propriumque locum sub nomine Infantilis Icteri a nosologis datur. Causa ejus plerumque existimatur esse retentum meconium; licet putare vero majorem actionem, pro rata parte in jecinore fœtus, quam in adulti hominis, eidem non parum conferre. In adulta ætate, Icterus rarior est; postea vero magis frequens, eoque frequentior quo ætas provectior est.

Quod ad sexum pertinet, fœminæ sæpius Ictero affici quam viri dicuntur. Hanc sententiam POWEL et SANDERS sequi solent. HEBERDEN, autem contra, ex centum laborantibus, quadraginta et octo solummodo fœminas fuisse dicit *. MORGAGNI †, quoque hæc habet, " Scripsit olim CAROLUS STEPHANUS, potissimum in mulieribus provectioribus, a se conspectum: hoc autem sæculo FREDERICUS HOFFMANUS rarius in hominibus florentis ætatis, frequentius vero in senibus, itemque in fœminis crebrius quam in viris reperiri. Multo igitur verius est HOFFMANI pronunciatum primum quam ultimum." Utcunque vero hoc sit, graviditas certe una causa est cur mulieres sæpius quam viri vexentur.

Cum autem vitia jocinoris longe frequentiora in locis æstuosis sunt, plusque bilis ibi secernitur, ita Icterus in his locis vulgatissimus est. SAUVAGES, quidem unam speciem Auriginem Indicam posuit; atque hæc adjicit, " In Mascarina insula, incolæ procera et decenti statura gaudent, sed omnes colore luteo, vel aurigine habituali af-

---

* London Medical Transactions, vol. ii. p. 134.

† Epist. Anat. Med. cap. xxxvii, art. 15.

ficiuntur, et quovis morbo perierunt, semper vitiosus reperitur hepatis status *." Hoc vero utrum ex regione an ex intemperantia, pendeat dubitat. Hæc magis ad speciem hepaticam pertinet: species calculosa autem, longe rarius in locis calidis quam frigidioribus accidit. Temperamentum quoque melancholicum Ictero obnoxium reddere putatur; verum hoc parum certum est.

Causarum autem quæ Icterum calculosum movent, vita desidiosa manifeste in numero est. Hoc fortasse accidere potest, ex longa quiete, unde tenuiores partes bilis resorbentur; atque ita Icterus non raro homines literis deditos afficit. Novi plura exempla, quæ huc referri, ut mihi videtur, solum potuerunt: quinetiam existimatur inclinatam posituram corporis per se Icterum moveri posse. HALLER †, calculos biliosos sæpe reperit in iis qui diu carceribus retenti fuerant. Demum ex GLISSON ‡, colligimus, (id quod quotidiana experientia comprobat,) boves qui diu bo-

* SAUVAGE's Nosol. Method. edit. 8vo. tom. iii.

† Experiment. Anat. de Sang. Mot. cap. vi.

‡ Anat. Hepat. c. vii.

vilibus retenti sunt, calculos biliosos sæpe habere. Superest ut dicam, induratam illam conditionem jecoris, unde tam sæpe Icterus proficiscitur, frequentius ex potionibus meracioribus excitari, atque ideo homines, qui iis nimis utuntur, Ictero manifeste opportuniores sunt.

Venio nunc ad causas quæ Icterum protinus movent, quæque sub quatuor capitibus comprehendi possunt. Primum eas continet, quæ cursum bilis mechanice (ut dicitur) impediunt; alterum spasmum includit; tertium, reliquas corruptas conditiones ductuum; quartum, tumores qui extra ductus sunt. De his singulis nunc pauca dicam.

Calculi biliosi, qui fluxum bilis sæpissime impediunt Icterumque movent, frequenter in vesica fellis reperiuntur, iique satis magni, neque ullum incommodum faciunt. Hujus rei, Morgagni * quædam notabilia exempla annotavit; unius mulieris, cujus in vesicula fellis post mortem, decem, alteriusque non pauciores quam trecenti et triginta, calculi biliosi reperti sunt; neutra vero

---

* Lib. iii. Epist. xxxvii, Art. 28, 27.

ex his ullum incommodum per vitam sentierat. Ad hæc HEBERDEN * exemplum cujusdam viri illustris in medium protulit, qui etsi per vitam nulla indicia Icteri prodiderat, tamen calculus biliosus, pondere duarum drachmarum in corpore repertus est: neque desunt plura similia exempla, quæ prodiderunt ii qui in sectionibus corporum multum versati sunt. Secundum POWEL, calculi biliosi tum demum ullum incommodum movent, cum in tenuiores ductus dilabuntur: etsi interdum Icterum movere alio modo possunt. Calculorum numerus plurimum variat; modo unus, modo mille †, plusquam tria millia etiam in eadem vesicula inventa sunt ‡. Magnitudo quoque pariter distat, etsi raro annotantur donec pisi magnitudinem adæquaverint; quo vero plures, eo fere minores sunt. BAILLIE magnitudinis ovi gallinacei unum cognovit; et SÆMMERING in libello de calculis biliosis, dicit, RICHTER calculum reperisse ad tres uncias cum semisse; HALLER, usque ad quatuor uncias. Quod ad for-

* London Med. Trans. vol. ii. p. 134.

† BAILLIE's Morbid Anatomy, p. 257.

‡ MORGAGNI, Lib. iii. Epist. xxxvii. Art. 19.

mam pertinet, hæc, ubi singularis est calculus, plerumque ovata est; ubi plures, irregularis; quod pendet fortasse, in priore exemplo, ex ipsius vesiculæ forma; in posteriore, ex pressura inter se calculorum, siquidem interdum, modo ossium carpi inter se quodammodo respondent. De calculorum principiis chemicis, quoniam horum cognitio ad morbi ipsius animadversionem parum pertinere videtur, neque solitos fines hujusmodi dissertationis transire volo, nihil hic dicam. Cum Icterus ex calculis plerumque feliciter terminetur, ita difficile est dictu in quo ductu calculus adhæserit; etsi non dubium est morbum protinus proficisci ex impedito cursu bilis per ductum communem choledocum. Hujus dilatatio quidem, non secus atque ductus hepatici ductusque cystici, interdum ingens est; utrum vero morbus oriri possit ex ductu cystico solum intercluso, dubium est, (non quod non levis brevisque affectio potest moveri ex bile quæ jam in vesicula fuit); idque dico quia vesicam arbitror nihil aliud esse nisi receptaculum bilis a jocinore secretæ. Experimentum autem a Monro * factum, hic quo-

* Vide lib. "On the Structure and Physiology of Fishes."—Edin. 1785.

que breviter memorare possum. Ligaturam injecit ductui cystico porci viventis, in quo, neque Icterus excitatus est, neque magnitudo vesiculæ fellis ullo modo adaucta; etsi paulo postquam ductus hepaticus pariter ligatus est, Icterus orsus est, ductusque ipse, admodum ampliatus. PORTAL, simile experimentum fecit *. POWEL, autem commode dixit, calculum in ductu cystico, posse per pressuram in ductum hepaticum Icterum movere †. Præter calculos si aliqua pars bilis admodum inspissata sit, cursum reliquæ, mechanice impedire potest: idem faciunt vermes aut hydatides in ductibus vel fellis vesicula, aut in infantibus meconium retentum; sed de his singulis non opus est curiose dicere. Alia autem causa ejusdem generis impedimenti, quæque parum adhuc considerata est, etsi fortasse non raro occurrit, est ubi nova quasi membrana in intestinis nascitur, ei similis quæ in cynanche tracheali formatur ‡. In quatuor fœminis adultis, quarum signa talia fuerunt ut putarentur calcu-

* Memoires de l'Academie, 1777.

† Gulstonian Lecture, 1799, p. 67.

‡ London Medical Transactions, vol. vi. p. 106.

los biliosos habere, stercora nulla indicia horum corporum præbuerunt; sed magnæ portiones hujusmodi membranæ repertæ sunt: quinetiam in uno exemplo, eadem reddita est forma tuborum, interdum sesquipedem longorum, tantaque copia ut omnia intestina obducere potuisset. Hæ fœminæ nulla indicia inflammationis, neque per pulsum, neque per cutem, ostenderant, neque (ut inquit eruditus ille atque curiosus horum exemplorum narrator) per ipsum exitum; siquidem, si revera inflammatio fuisset, vix putari potest fore ut, sub curatione quæ adhibita est, tam feliciter finirentur.

Altera causa impediti cursus bilis, spasmus est; qui utrum per se Icterum movere possit, quæstio est. Tunicæ horum canalium fibris musculosis instrui interdum manifeste videntur; et quanquam admotis stimulis non ita irritantur, ut solent partes musculosæ, tamen hujusmodi experimenta multum incerti semper habent. In viva bestia sensibilitas aliarum partium, sub tali experimento, tantopere excitari debet, ut hanc bene hebetem relinquat. Præterea, in bestiolis exiguis, non protinus affirmandum est, nullas fibras musculosas esse, quia earum nulla testimonia ocu-

lis offerre possumus. Illud quoque objici solet fibris musculosis in his canalibus, quod partes, talibus instructi, capacitatem suam aptare rebus contentis solent; idque comprobare quidem volunt ex arteriis, quæ, si quid comprobant, contrariam sententiam manifeste comprobant, ut quæ ex insolita distentione perpetuam dilatationem sæpissime patiantur. Neque quidem, nisi hi canales musculosi sint, facile est dictu, quo pacto calculus in ductum cysticum propellatur, cujus interdum spatium multo minus est quam minor pars calculi. Quod si putamus id effici per diaphragma et musculos abdominales, verisimillimum esse videtur fore, ut calculus eo propellatur ubi minima repugnantia est, et ideo in vesiculam iterum dilabatur, id quod rarissime accidit. Non dubium est quidem supradictos musculos plurimum conferre ad calculos biliosos expellendos: illud solum dico, canales ipsos via propria frui propellendi quod continent, via qua transmitti debet, quæque, ut dicitur, est quasi, "a reasoning power which seems to regulate the actions of those parts of the body not under the influence of the will *."

---

* Gulstonian Lecture, Lond. 1799.

Spasmum autem posse duodenum occupare, ubi ductus communis id intrat, consentiunt omnes; atque fortasse medicamenta antispasmodica, quæ Icterum sustulerunt, interdum perperam putata sunt in hunc agere, potius quam in spasmum ipsorum ductuum. Ductus autem interdum usque adeo coarctati reperti sunt, ut ne specillum quidem transmitterent; id quod ex irritatione calculorum fortasse ortum est. Non tamen negandum est, spasmum fibrarum musculosarum duodeni, ibi ubi ductus communis intrat, vulgariorem esse; isque ex rebus irritantibus, venenis, vermibus, meconio retento, iisque similibus, moveri potest; neque raro quosdam morbos spasmodicos, colicam scilicet, hysteriamve, aut epilepsiam, non secus atque quasdam affectiones animi, comitari solent.

Præter calculos autem et spasmum, aliis modis ita afficiuntur ductus ut Icterus moveatur. Non raro ipsi calculi, ex magnitudine figuraque, inflammationem atque suppurationem movent; unde bilis ex vesiculis assidue destillat, Icterusque immedicabilis fit. Ex inflammatione quoque alterum latus ductus interdum altero adhæsit, iterque interclusum est, id quod ex duodeni in-

flammatione quoque accidere potest *. Interdum externi tumores, comprimentes ductus, inflammationem movere possunt; quinetiam, in infantibus, ductus ipsi impervii Icterum interdum movent. Ex inflammatione, parietes harum partium non raro longe crassiores, vel etiam scirrhosi fiunt; id quod, veluti similia vitia ventriculi duodenique, sæpissime ex nimio usu potionum meraciorum proficiscitur. Idem morbus interdum ex conversione in os ipsorum ductuum aliquando excitatur; verum id rarius. Quinetiam fellis vesicula aut ductus ita dilatari possunt, ut se contrahere ad bilem expellendum nequeant.

Superest, ut de tumoribus externis dicam, qui, post calculos bilemque inspissatam, frequentissimæ causæ Icteri sunt, morbumque movent, qui, ex natura comitantium malorum depelli nullo modo potest. Ex his præcipui sunt tumor ex inflammatione abscessuque jecinoris, hydatides, tubercula, sanguisque congestus in vasis jecinoris: neque difficile erit dictu, quemadmodum febris intermittens, ex ulla de his causis morbum efficere possit. Memorandum quoque est majo-

---

* BAILLIE's Morbid Anatomy, p. 256.

rem copiam sanguinis in jecinore per infantiam, posse, per compressionem, Icterum movere; eodemque modo uterus gravidus, glandulæ in capsula GLISSONII, ex struma aliisve causis ampliatæ, pancreatis scirrhus, ventriculus aut intestina vehementer distenta, atque ascites, agere possunt.

Cum dixerim præcipuas causas unde fere Icterus proficiscitur, restat ut dicam, alias quoque subesse; ut si, quando bilis intestinis commode tradita fuerit, cursus ejus per ea, aut hernia aliisve morbis, aut stercore, aut post injurias capitis quæ torporem moverint, impeditus fuerit. Itidem, si nimium bilis secernitur, ut fere in calidis regionibus accidit, semper intestina occupat, Icterumque majore minoreve modo excitare potest; idemque interdum accidit ex validis vomitoriis aut purgantibus remediis, quæ insolitam secretionem bilis eliciunt. SANDERS judice, iram aliquando idem efficere; revera tamen malum nostrum ex ista animi affectione rarissime, oriri cognitum est.

Quod pertinet ad causam proximam Icteri, contentus ero primum antiquorum sententiam breviter proferre, deinde duas præcipuas, quas physio-

logi recentiores amplexi sunt. Igitur, antiqui cum putarent officium jecinoris solum esse bilem quæ jam in sanguine fuit, separare, existimabant Icterum oriri ex hac functione quodammodo impedita, bileque ideo in sanguine retenta. Hæc opinio diu prævaluit, eamque MORGAGNUS ipse et BOERHAAVE sequebantur; nunc vero ut credo, penitus obsolevit, aliæque magis verisimiles suppositæ sunt. Liberum autem commercium, quod ab HALLER, repertum est subesse inter ramos venæ portæ ductuumque hepaticorum, effecit ut crederet, siquando bilis impedita fuerit, fore ut regurgitet, atque ita Icterum concitaret. Hanc sententiam secuti sunt plures satisque celebres physiologi; multum vero abest ut comprobata sit, idque maxime ubi ex ipsis experimentis rationeque colligimus, morbum potissimum per resorptionem fieri. Novimus enim, jecur vesiculamque fellis vasis resorbentibus copiose instrui, a quibus demum humores, vel etiam partes solidæ auferri solent: neque unquam de regurgitatione, nisi in jecore, aliquis loquitur. Diffusa igitur bilis per corpus, causa proxima Icteri est; eandemque in vasa sanguifera per resorbentia vehi, comprobatum est, plurimis experimentis in viva ani-

malia factis. Sæpe enim ductus hepaticus illigatus est, corporeque insecto resorbentia humore luteo distenta reperta sunt, cursusque eorum ad ductum thoracicum facile annotatus *.

DE HISTORIA MORBI.

Quoniam Icterus, ex tot, tamque variis causis proficiscitur, sequitur ut signa ejus plurimum inter se quoque varient: hæc vero primum generaliter describam, atque deinde quicquid proprium sit propriis causis notabo. Accessionem Icteri sæpe per plures dies, antecedit gravitas epigastrii dextrique hypochondrii, cum nausea, cruditate, atque languore. Brevi tunica conjunctiva oculorum leniter flavescit; idemque color postea ad radices unguium, deinde ad palpebras temporaque se ostendit, atque ita totam faciem gradatim percurrit. Tum ventris pectorisque cutis, reliquæque omnes partes corporis flavescunt. Cutis fere arida est, sæpeque prurit; quod si sudores elici-

* Saunders, on Diseases of the Liver, p. 90.

untur lintea flavo colore tingunt. His accedunt fastidium cibi, cum nausea interdumque vomitu. Sitis magna est. Lingua sordibus subfuscis vel subflavis contegitur. Sapor amarus est. Saliva quodammodo flavescit, maleque sapit. Plerumque dolor in epigastrio dextroque hypochondrio perstat, interdum obtusus, interdum vero acutus. Urina primum crassa turbidaque est; brevi autem obscurum sedimentum dejicit: si linteum in ea demittitur flavo colore inquinatur. Dejectiones colore solitoque odore carent, alvusque plerumque astricta est, etsi id, neutiquam perpetuum est. Interdum calculi cum dejectionibus redduntur. Respiratio laboriose perficitur, cum sensu quasi ponderis atque constrictionis circa præcordia, interdumque cum crebris suspiriis. Pulsus sæpe tardus languidusque est per totum morbum, interdum vero plenus atque frequens. Secundum SYDENHAM *, Ictericis, quicquid aspiciunt, flavo colore esse videtur. HEBERDEN autem id negat, etsi ex MORGAGNI † discimus,

---

* Vide SYDENHAMI Opera, Edit. Lugd. Batav. 8vo, p. 607.

† Lib. iii. Epist. xxxvii. Art. 28.

MERCURIALEM (quanquam ipse an verum esset dubitavit) testimonia VARRONIS, LUCRETII, SEXTI EMPIRICI, atque GALENI citasse. HOFFMAN inquit se duo exempla hujus rei vidisse; atque noster GREGORY, Ictericum in valetudinario curavit, qui dixit omnia sibi flava videri. Hoc igitur interdum accidere verisimile est, etsi admodum raro; maximeque cum "neque CELSUS, neque CÆLIUS AURELIANUS, nec ÆTIUS, nec AVICENNA, hujus signi mentionem fecerint *."

Hic morbus non raro subito incipit, ab acuto dolore circa regionem ductuum fellis, idemque lancinans est, et post cibum adaugetur extenditurque ad dextrum hypochondrium. Æger torquet se dolore, atque huc et illuc se jactat; plerumque vero corpore inclinato maxime levatur. Accidit vomitus atque singultus, interdumque horrores. Pulsus sæpe tardior solito est. Spiritus vero acceleratus et laboriosus. Hæc omnia non raro subito desinunt, sic tamen ut incertis temporibus redeant; interdum vero, post primam decessionem, æger nullum reditum morbi exper-

* Vide HOFFMANI Opera, tom. iii. cap. xii. sect. 4.

tus est. Quodsi dolor cæteraque signa perstant, febrisque urgere incipit, licet scire calculum in ductubus inhærere, inflammationemque jam incipere movere, ex qua, ut diximus, immedicabilis Icterus interdum factus est. Eandem causam morbi suspicamur ex dolore lancinante, sine excitato pulsu; idque maxime si æger vitam desidiosam degerit, vel calculi biliosi cum dejectionibus descenderint.

Quoties Icterus ex spasmo oritur, dolor sæpe acutus est, sed fixus, nec lancinans, cæteraque signa variant, pro natura morborum quos sæpe comitantur.

Quod si dolor obtusus perpetuusque est in dextro hypochondrio, idque intumet, dolorque ad dextram scapulam extenditur, cum febre hectica signisque Icteri, licet suspicari morbum ex tumido jocinore proficisci. Hæc fere pessima forma morbi est; dolor fixus et gravis est, oculi cutisque magis magisque flavescunt, et denique pæne nigrescunt. Pruritus intolerabis est; sapor amarissimus; totumque internum os sordibus obscuris obducitur. Sitis vehemens est; animus demissus; corpus male olet, atque emacrescit; vires franguntur; urina crassa, admodumque ob-

scura; alvus vix moveri potest. Pulsus imbecillus est et intermittens. Respiratio difficilis est atque laboriosa. Crura intument, generalisque anasarca, cum singultu, ostendit jam hominem in præcipiti esse.

DE PROGNOSI.

Hæc in Ictero, tanquam in aliis morbis, colligenda est, non modo ex signis ipsis, sed etiam ex causis excitantibus. Quæ ubi alius morbus est, isque (ut in Ictero sæpe accidit) subsequente morbo etiam periculosior, sequitur ut nihil nisi malum præsagiri possit. Hic vero de Ictero, prout ex certis causis solum proficiscitur, loquendum est.

Ubi igitur Icterus ex calculis oritur, ægerque juvenis est, neque nimis irritabilis, licet felicem exitum augurari. Sin autem signa febris accesserint, Ictero post decessionem doloris perstante, locus est suspicandi læsionem ductuum esse, unde Icterus etiam perpetuus fiat; non quod non ex inflammatione atque suppuratione, calculus

interdum in ventriculum aut in intestinum dilapsus est, atque ita natura ipsa morbum sanaverit. Quinetiam raro accidit, ut Icterus ex calculis pestifer sit, etsi in senibus, corporibusque irritabilibus non caret periculo. Ex hac causa quoque Icterus, redire solet, modo certis temporibus, modo incertis; idque expectare licet, si calculi inæquales fuerint, homoque parum sibi temperaverit. Quod si uncium calculum, ejusque formam æqualem et ovatam esse reperimus, licet sperare hominem tutum fore a reditu morbi.

Si ex nimis viscida conditione bilis morbus oritur, lenis est, facileque depellitur. In graviditate quoque si Icterus se ostendit, possumus præsagire fore ut morbus post partum discedat.

Si Icterus ex spasmo est, morbus plus minusve periculum habet pro natura morbi quem comitatur, plerumque vero feliciter terminatur.

At si vitium jecinoris aliusve visceris Icterum moverit, homo in malis est, idque colligendum erit ex malis signis quæ hanc conditionem ostendere jam dixi. Quod si tamen instat felix eventus, hic ostenditur diarrhœa biliosa, et pruritu cutis, unum aut alterum diem antequam tolli-

tur *. Nausea vomitusque discedunt, cupiditasque cibi redit; animus hilarior fit; solitique labores aut delectationes desiderantur; oculi cutisque gradatim ad solitum colorem redeunt; denique urina, dejectionesque, solitas proprietates redipiscuntur.

Hic vero memorandum est, plura exempla Icteri in apoplexia finita fuisse, idque ubi nihil suspectum fuit. POWEL duo exempla puellarum ita affectarum narrat †, MORGAGNUMque et BAGLIVIUM citat, qui plura ejusmodi exempla habent. HEBERDEN quoque unum Ictericum apoplexia raptum fuisse suspicatur ‡: hoc explicatur ex sympathia inter jecur atque caput, quam sympathiam revera subesse plurima ostendunt: huic explicationi adjici potest, quod sanguis fortasse minore copia ad jecur latus, in bilemque conversus, majore copia per reliquum corpus circumagitur, atque ita Ictericos apoplexiæ obnoxios reddere potest.

* PEMBERTON, on Diseases of the Abdominal Viscera.

† Gulstonian Lecture, 1799. p. 83.

‡ London Medical Transactions, vol. ii. p. 143.

DE DIAGNOSI.

Ex iis quæ jam de signis Icteri dicta sunt, licet putare hunc morbum cum aliis confundi non facile posse; quoniam vero quidem huic quodammodo similes sunt, bene erit pauca de discrimine dicere. Ex his autem præcipui sunt Febris Flava atque Chlorosis.

A priore igitur Icterus facile discernitur, eo quod nulli regioni proprius est; quod neque epidemicus est, neque ex contagio oriri unquam putatus est; quodque a febre nunquam incipit. Hæc vero in febre flava ab initio protinus urget; oculique sanguine primum suffusi sunt, neque flavescunt, donec totum corpus flavo colore tingitur. Hæc omnia autem in Ictero aliter se habent. Rursus, quod evomitur in febre flava grumosum est, obscurique coloris, et sæpe bile commistum; dejectionesque quoque obscuri coloris, sæpeque bile commiscentur, et male olent. Hæc omnia vero signa plerumque in Ictero desiderantur; cui, si adjicimus plurima hæc signa quæ Ic-

terum proprie denotant, nullus locus erroris, ut credo, omnino erit.

Superest ut Chlorosin ab Ictero discernam, id quod facillime fit; siquidem prior puellas solum afficit, neque unquam talem flavedinem ostendit, qualis in Ictero est; oculi quoque nunquam flavescunt, sed potius præter naturam albescunt, margaritiamque repræsentant. Ad hæc pulsus exiguus celerque est. Respiratio levissimo quoque motu excitatur. Urina pallida atque pellucida, dejectionesque fere nigrescunt. Hæc omnia longe aliter in Ictero se habent; neque opus esse videtur plura de discrimine dicere, ubi nullus omnino locus confusionis esse potest.

DE ICTERI CURATIONE.

De Icteri curatione celeberrimus Mead commode dixit: "Multiplex adeo malum multiplicem curationem desiderat;"—id quod ex tot, tamque diversis causis, colligi facile potest. Omnia igitur remedia curiose proponere difficile esset, planeque supervacuum; hæc ergo solum persequar, quæ pertinent ad Icterum, prout ex commu-

nibus causis oriatur. Igitur ubi Icterus ex calculis biliosis proficiscitur, primum est dolorem tollere. Quod si ductus spasmo affici possint, contractio eorum in calculum ejusdem cursum prohibeat necesse est, pariterque dolorem adaugeat. Sub hac conditione igitur confugiendum est protinus ad remedia antispasmodica; quorum utilitatem quotidianus pene usus ostendit. Ex his præcipuæ sunt opium, æther, moschus, camphora, aliaque hujusmodi; plerumque vero opium optimum est, ut quod, non modo spasmos tollat, sed propria quadam facultate, dolorem discutiat. Hujus copia magna esse debet, plerumque ad quadraginta guttas tincturæ; postque horam unam aut alteram, viginti plures guttæ dari possint, prout res postulaverit, neque intermitti omnino opium debet, nisi si dolor plane desierit. Frequens autem vomitus, qui hanc conditionem comitatur, interdum necessarium reddit, ut, cum hoc remedio simul aliquid detur, quod possit efficere ut retineatur; vel fortasse opium solidum, cum aliquo extracto amaro, ut gentianæ, ut anthemidis, est, dari potest. Quod si nullo modo ventriculus retinere id potest, tincturæ ejus per alvum adhiberi debet, forma enematis emollientis,

quod semper commode inditur. Hæc ubi fiunt, fomenta ex aqua calida, vel ex decocto papaveris, ventri admoveri debent; vel si commodum est, homo debet in balneum descendere, ad gradum centesimum, vel centesimum et decimum, ibique diu manere, ut anima deficiat. At si dolor perstet, pulsusque plenus et validus sit, mitti sanguis ex brachio debet, majoreve minoreve copia prout res postulaverit, semper autem subito, non modo ad inflammationem arcendam, sed etiam ad spasmum solvendum. Cum hoc simul medicamentum aliquid purgans, ut magnesiæ sulphas ex infuso sennæ, commode adhibetur. Quinetiam si dolor levior est, atque ita si diu perstat sine inflammatione, et denique si plane desiit, laxantia subinde dari debent; tum prohibere ne inflammatio accedat, tum suppeditare intestinis solitum stimulum quem ex bile habent. Diarrhœa autem, quæ tam sæpe sublatos calculos subsequitur, plerumque cito finitur, eaque intestinorum conditio non temere sisti debet; ut quæ omnia reliqua signa facillime solvunt; ad hoc igitur sales neutrales, oleum ricini, rheum, aut jalapa, recte dentur. Ex hoc vitio autem ventriculus interdum tam imbecillus re-

linquitur, ut corroborantia postulant; ex quibus optima sunt gentiana, cascarillave aut colomba, cujus infusi uncia vel uncia cum semisse, ter quotidie recte datur. Sæpius vero accidit, ut talia remedia non postulentur: siquidem, sublato calculo, cupiditas cibi per se fere redit, homoque cito restituitur. Ad hæc, idonea est modica exercitatio, quæ ubi Icterus ex calculis proficiscitur, potissimum prohibet ne morbus redeat; interdumque, ut videtur, ipsorum calculorum solutionem facit. Cum vero calculi biliosi extra corpus non difficulter solvantur, quidem putarunt se posse eosdem in corpore quoque solvere; atque ita plurima remedia ad hoc præcepta fuerunt, quorum utilitas non facile explicatur, nisi fortasse si calculus proxime duodenum affixus fuerit. Hoc consilio olea volatilia, soluta in alcohole data sunt, atque, ut dicitur, summo commodo; mistuараque ætheris et olei terebinthinæ plurimum, præcipueque in Gallia, laudata est. Constat ex tribus drachmis prioris ad duas posterioris; ejusque quarta quintave pars quotidie mane in coffea bibitur, ita ut simul diluentia copiose dentur *.

* Dictionnaire des Sciences Medicales, tom. xxii. p. 459.

Ad idem alkali, aqua calcis, sapo, cæteraque similia, prætereaque interdum acida data sunt; in hac autem regione non multum laudantur. Quoniam vero calculi biliosi frequentes sunt in bovibus per hyemem, et ubi cubilibus includuntur, raro autem ubi gramine libere pascuntur, putatum est quandam propriam virtutem cibo inesse; atque adeo decoctum recentis graminis, succumque taraxici, in Ictero esse profutura. Hoc ubi putarunt homines, exercitationi parum tribuerunt; taliaque remedia, si revera profuerunt, magis effectibus eorum in animum, quam in corpus, tribuendum esse videtur.

Inter solita autem remedia Icteri, vomitoria purgantiaque sunt: ideoque dantur ut calculum ex sede, vi et armis quasi propellant. Hoc vero efficere interdum periculo non caret; dubiumque esse videtur an calculus, hoc modo, unquam certe depellatur. Quod ad vomitoria vero pertinet, ventriculus sæpe ita irritatur, ut necesse sit vomitum potius cohibere quam excitare. HEBERDEN autem, qui hæc omnia bene animadverterat, vomitoria laudat, tam caute tamen ut verbis ejus hic utar: "By what I have observed of icteric cases, it has appeared to me, that a vomit, excit-

ed while the pain was intense, has rather quieted, than aggravated it, and has never brought it on. But if we be secure of its doing no harm, there is so good a chance of its being beneficial, that, whether the patient have a vomiting or not, it is a judicious practice to order an emetic, either at first, or as soon as the intenseness of the pain has been alleviated, and occasionally to repeat it *." Adjicit autem, si conatus ad vomendum vehementes sunt, hos per opium recte cohiberi. Præterea hydrargyrum, usque ad ptyalismum adhibitum, adversus calculos biliarios interdum laudatum est; raro autem hoc consilio datur, etsi plurima exempla utilitatis ejus ab uno auctore tradita sunt †. Ubi Icterus putatus est oriri ex spissa conditione bilis, exercitatio, subindeque purgantia, et potus ex supertartrate potassæ, cito eum tollunt: talis autem conditio maturam curam postulat, ne calculos moveat.

Quoties Icterus morbos spasmodicos subsequitur, plerumque desinit ubi hi sublati fuerint: quod si vero Icterus superest, eandem pæne cura-

* Med. Trans. Lond. vol. ii. p. 160.

† Edinburgh Med. Comment. vol. i. p. 279.

tionem postulat de qua modo diximus. At si Icterus venenis concitatus fuerit, præcipuum est horum antidota adhibere. Ubi idem morbus ex rebus acribus in ventriculo intestinisve proficiscitur, summa curationis in vomitoriis purgantibusque est. Eadem quoque curatio idonea est ubi, in infantia, Icterus ex retento meconio movetur. Ubi autem Icterus ex vitiatis quodammodo ductibus proficiscitur, licet interdum aliquid ex natura sperare, parum vero ex arte; hic enim nihil aliud efficere possumus, nisi ut, ubi inflammatio urget, hanc tollamus; victuque valido, ubi vires admodum franguntur, has sustineamus. Interdum electricitas in Ictero plurimum adjuvare visa est, postea quam cætera remedia fefellerunt; hæc vero adeo admota est, quia putatum est Icterum moveri posse conditione paralytica ductuum. Hujus generis unum exemplum narrat DARWIN, sub quo decem modici ictus per jecur itinere ductuum, transmissi sunt; idque remedium vespere ejusdem diei secuta est salubris diarrhœa, idemque postea quam per aliquot dies adhibitum est, morbus, qui pertinacissimus fuerat, sublatus est *.

* Zoonomia, vol. i. p. 308.

Idem commodum ex eodem remedio semel admoto, narratur a Hall, in epistola ad Rush, cujus rei prior ipse exemplum fuit *.

Si quando vero sub graviditate Icterus se ostendit, interdum tam levis est ut protinus laxantibus cedat; atque adeo, secundum Hamilton, Artis Obstetricæ in nostra Academia Professorem, reditus ejus plerumque postea arcetur, si ægra quotidie mane, vitellum ovi devorarit. Non quod non interdum, sub hac ipsa conditione, Icterus ex calculis proficiscitur; quod ubi ita est, remedia jam dicta desiderantur. Quoties vero graviditas sola in causa est, signa, ut dixi, raro gravia sunt, postque partum cito finiuntur. Interdum vero Icterus excitatur ex congesto sanguine in vasis jocinoris ipsius (ut dicitur), vel vicinarum partium, ubi tenuis admodum spes est sanitatem recuperandi. Mature autem in morbo fortasse optimum est frictionibus uti, supra partem corruptam, unguento ex hydrargyro; simulque idem remedium intus dare, sub forma vel pilulæ, vel submuriatis hydrargyri, conjuncti cum extracto conii opiive. Hæc autem ita dari de-

---

* Edinburgh Medical Commentaries, vol. ix. p. 161.

bent, si ægri vires patiuntur, ut ptyalismum moveant. Ad idem, balneum calidum idoneum remedium est, aquæque Bathonicæ et Cheltenhamicæ commode bibuntur. His accedit remedium quod nuper in morbis jecinoris admodum laudatum est, balneum nitromuriaticum dico, quod interdum fortasse prodesse potest. Ad hæc acidum nitricum, tum cum hydrargyrum dari non potest, satis sæpe adhibetur, idque ut videtur summo cum commodo.

Quod pertinet vero ad victus rationem, hæc, sub omnibus generibus Icteri, summam curam studiumque sibi vindicat: cibi faciles esse debent, et stomacho non alieni, meliusque ex frugibus quam ex carnibus, potissimum constat. Omnes potus meraciores plane inimici sunt, homoque bibere nihil debet, præter aquam leniter acidulatam vel alia similia. Quod si febris hectica accidat, summa curationis est signa, prout oriuntur, lenire, idque quomodo fiat, ex ratione ipsorum signorum pendebit, neque propriam animadversionem desiderat. Hanc igitur, per totam meam dissertationem, semper, neque inconsulto, prætermisi; neque plus dixi quam quod necesse fuit ad Icteri, prout ex discretis causis oriatur, curatio-

nem illustrandam. Hoc pro virili parte, jam perfeci; speroque fore ut, si plures errores in hoc nostro opusculo ubique deprehenduntur, hi, aliqua certe ex parte, tribuantur argumento nimis amplo nimisque diffuso, quam ut hujusmodi dissertatione comprehendi facile potuerit.

FINIS.